

last updated: 23/11/2010

1. This transcription of Caesarius of Alres's *Encyclical letter* of ca 534 from Oxford, Bodleian Library, Bodley 572, was made for the *Carolingian Canon Law* project, and as such complies with the conventions stipulated by the project's guidelines (<http://ccl.rch.uky.edu/guidelines/guidelinstr.html>).
2. Suspensions and abbreviations have been resolved silently. Occasionally, these have been left unresolved when there is some ambiguity as to word form/inflection.
3. Manuscript punctuation and capitalization have been retained.

[f. 76v] ...

XVIII. Incipit epistola ormsidi papę per uniuersis prouinciis.

Si quis diaconus aut presbiter post acceptam bene[f. 77r]dictionem leuiticam cum uxore sua incontinens inuenitur ab officio abiciatur. {Council of Orange 441, c. 12} Ecce manifestissime constat quia secundum titulis antiquorum patrum sancti iohannes papae transmissi et a trecentorum decem et octo episcoporum sententias. sed et canones galligani continere uidentur. Clerici in adulterium deprehensi sed et aut ipsi confessi aut ab aliis reuicti: ad honorem redire non possunt. et quia forte non desint quibus pro nimia pietate superscripta sanctorum patrum seueritas minime placet {*corr.* placeat} sciant se et trecentorum decem et octo episcoporum et qui reliquas canones statuerunt sententias reprehendere uel damnare. sed forte maior est in illis pietas quam in supradictis trecentos decem et octo episcopos. maior illis misericordia: quam in sancto iohanne apostolico papa. Maior caritas: quam in reliquis sanctis sacerdotibus qui hoc pro exemplum uel remedium ecclesiarum suis definitionibus deliberauerunt. Et ideo aut prona uoluntate preceptis illorum consentiant. aut si non fecerint omnibus contrarios se et inimicos. esse. cognoscant. Quae est ista iustitiae inimica benignitas [f. 77v] palpare crimosos et uulnera eorum usque ad diem iudicii incurata seruare. Quod si etiam eos durissima paenitentia per plures annos agere uiderimus: sic et ipsum et salute eorum consolare: et canonum debemus statuta seruare. Cum uero in aliquibus hoc conpunctionem humilitatis: nec instantia orandi uel plangendi appareat: Nec beatum dauid imitentur qui dixit. Lauabo per singulas noctes lectum meum lacrimis stratum meum rigabo. {Ps 6:7} Et illud. Cinerem tamquam panem manducabam et potum cum fletu miscebam. {Ps 101:10} Hoc eos ieiuniis uel lectione uacare uideamus possumus agnoscere se si ad honorem pristinum redirent. Cum quanta neglegentia et cum quanto tempore et inimico animae securitate permaneat: credentes quod si eis non acta digne paenitentia dimiserit deus quomodo sacerdotes indulgisse uidentur. Uere dico quia illi ipsi quibus cum periculosa et falsa misericordia indulge uidemur: cum ante tribunal christi pro tantis peccatis damnandi aduenerint: contra nos ipsos causas dicturi sunt dicentes. Quod dum hic asperitate linguae eorum expauimus [f. 78r] ad falsa blandimenta et periculosas adolationes ipsorum libenter accepimus. Nos eos dum illis inutiliter indulgimus: in peccatis permanere aut ipsa peccata etiam augeri admiserimus. Non recordantes illud quod in ueteri testamento scriptum est. Quia unum peccantem contra omnibus ire dei deseuiat. O pietas O misericordia uni parcere et omnes per exemplum malum in discrimen adducere. Non ita suadet sanctus ac beatissimus

cyprianus martyr dicens. Qui peccantem uerbis adolantibus palpat: peccandi fomitem subministrat: nec premit delicta ille sed fouit. {Cyprian, *De lapsis*, 14} Et iterum. Imperitus est medicus qui tumentes uulnerum sinus manu parcende contractat et absconditum in profundum recessibus uiros dum seruat exaggerat. {Cyprian, *De lapsis*, 14} Unde et sanctus constantinopolitanus episcopus arguet dicens. Imperitus. est. medicus qui ante deiecta putredine: superducit uulneri cicatrice. {*source unknown*} Et ideo diligenter perpendite: aut potest aut debet fieri: ut tantorum ac talium quod supra memorauimus sacerdotum cannonum contempnentes: aliter quod illi statuerunt obseruare [f. 78v] uel agere presumamus. Praecipue cum se illorum trecentos decem et octo episcoporum qui per omnes ecclesias concilia fieri preceperunt: tam sancta decreta neglexerimus non illos solos despiciamus: sed sicut supradictum est: et astricanos et omnes reliquos qui ipsos ordinantibus. per totum mundum pro ecclesiastica disciplina aliquid statuerunt. Nec tantam eloquentiam habeo ut ante tribunal christi contra tantos ac tales sanctos sacerdotes qui canones statuerunt causas dicere possim. Uideat unusquisque qualiter sentire uel obseruare disponet: qualiter possit in die iudicii reddere rationem. Ego in quantum uires deus dignatur dare: studire uolo eorum preceptionibus et oboedire. quia cum illis non rixas sed pacem. et quaecumque partem habere desidero. Et hoc diligenter attendendum est: quod si secundum quod supra scriptum est. illi clerici qui ad uxores proprias redeunt: ad integrum ab officium suspenduntur. Et si etiam bigamini et internuptiarum mariti qui utique rem licitam faciunt: clerici tamen ordinari non possunt. aut si [f. 79r] ordinati fuerint deiciuntur. De quibus et sanctus faustus episcopus in epistola sua dixit. Perdidit gratiam consecrati: qui ad hoc officium uult exercitari mariti. {*source unknown*} Cum haec ita sint qua conscientia quisquam dicere poterit quod ille quia adulterium commiserit iterum ad honore redire possit. Hoc loco si aliquis fuerit qui dicat. Ergo negas misericordiam dei qui dixit. Nolo mortem peccatorum: {Eze 33:11} et illud. Numquid qui cadit. {Ps 40:9} Et illud. Peccator in quacumque die conuersus fuerit: omnibus iniquitatibus eius in obliuione tradentur. {cf. Eze 18:21–2; 33:12–13; Iac 5:20} Et ad haec uoce respondere et possimus et debemus. Absit a nobis ut de istis sententiis: uideamus uel leuiter dubitare. Definitissime enim credimus quod quisque ad finem uitae suae paenitentiam digni egerit: non solum indulgentiam accipiat: sed etiam ad proemia aeterna perueniat. Propter regulam tamen ecclesiasticam. et propter antiquorum patrum statuta: quae absit a nobis ut reprehendere aut discutere audeamus. Cum quem credimus ad uitam aeternam post beatam paenitentiam uenire ad honore [f. 79v] clericatus secundum antiquorum patrum precepta:

Michael D. Elliot, November, 2010

nouerimus non debere reuerti. In tantum: ut in cannonibus scriptum sit. Ne ullus umquam paenitens clericus ordinetur. {*Statuta ecclesiae antiqua*, c. 84} Et si ille qui ultro petit paenitentiam quamuis eam perfecte agit: non potest episcopus aut presbiter ordinari: Ita ut etiamsi per ignorantia ordinatus fuerit et postea conuincitur paenitentiam accepisse: deicietur. Ille qui inuitus ad paenitentiam agendam in monasterio mittitur: et utique quid aliud quam paenitens dicendus est: Qua conscientia ad sacerdotium redire permittitur. Nemo mihi alia quaelibet contra autoritatem sedis apostolicae: uel contra trecentorum decem et octo episcoporum precepta uel reliquorum cannonum statuta obieceat. Quia quicquid contra illorum difinitionibus in quibus spiritum sanctum loquutum. esse. credimus dictum fuerit: recipere non solum temerario. sed etiam periculosum esse non dubito. Ualde enim metuo et contremesco illam damnationem quam heli sacerdos propter stultam indulgentiam accipere meruit: Qui pro eo quod filios suos neglegenter castigauit: et eos nec cedere [f. 80r] nec excommunicare uoluerit: ipsi filii uno die occisi sunt et XXX de populo interfecti sunt: et archa testamenti capta est: et ipse retro cadens fractis ceruicibus mortuus est: et nomen ipsius de libro uite deletum est. {cf. I Reg 4} Et e contra finees pro eo quod zelo dei commotus duos adulteros pariter interfecit: totum populum de dei iracundiam liberauit. {cf. Num. 25} Nec ideo dico ut sicut ille fecit etiam nunc per mortem corporis sacerdotes domini debeant uindicare. sed quia melius est unusquisque paruo tempore donec uiuit in hoc mundo uerecundiam uel confessionem sustineat: quam postea ad supplicia aeterna perueniat. Et multum ei utilius est propter aliorum exempla quamdiu uiuit remotus ab honore paenitentiam agat et remedium sibi in die necessitatis adquirat. Quicumque paruitati meae in hac causa uoluerit honerosus existere: alium ei dare responsum non delibero: nisi quod supra dicti cannonis continere uidentur.